



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Contra amorem perversum mulierum, 34

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

2. Ad tuum Domine extremum iudicium sine ulla temporis intercapedine & continue volens nolens properat : & amat quod necessario relinquit ; id vero negligit, ad quod necessario pervenit. Amat namque illa, quæ possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciant, quæque arctius parta quam concupita constringunt. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus vere amandus es, ego nefandissimus peccator, quæ scripsi & scribo, scivi & veraciter scio talia esse. Sed tanta est malitia mea & iniquitas, ingratitude & superbia, quod omnia tibi placita consilia & præcepta tua protervo animo contempsi & sprevi ; & ad miseris divitias mundi, cor meum penitus inflexi. Illas concupivi & desideravi : & ut eas acquirerem, laboravi, & ad hoc ipsum vigilavi ; & quascunque vias adinvenire valui, adinveni. O piissime Domine, adjuvare me digneris, & delere tua maxima misericordia omnia peccata mea ; segregare mentem meam à desideriis terrenis ; elevare illam ad divitiarum cœlestium desiderium, quæ in solo tuo consistunt amore : ut eas auxilio tuo consecutus, te perpetuo diligam, & tuo amore fruam in sæcula sæculorum, Amen.

CAPUT XXXIV.

Contra amorem perversum mulierum.

1. **A** Mor carnalis (benignissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, & vere in spiritu & spiritualiter amande) insatiabilis est. Quia extinctus reaccenditur, & post

post copiam rursus inops fit, animumque virilem effæminat; & præter passionem quam sustinet, nihil finit aliud cogitare: quia rationis oblivio est, & insanix est proximus. Talis perversus amor turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit; à magnis & altissimis cogitationibus ad parvas & humillimas attrahit, iracundos & temerarios facit. Insuper, qui tali amori conjungitur, tentationibus continuis subjacet. Talis amor est laqueus animæ, discrimen vitæ, mors suavis, blanda percussio, interfectio leniens, mel felleum, perniciës delicata, dulce venenum, malum spontaneum, sapida jugulatio, & omnium rerum calamitas. Nam Adam & Evam de paradisi delitiis ejecit, cœlestis terrenos fecit, humanum genus in infernum demersit. Vitam abstulit mundo, laborem & pressuram invenit, & malum quod ad mortem perducit. Fœdat pueritiam, perdit juventutem, & incitat ac inquietat emortuam carnem, & senectutem.

2. Talis amor (Domine Iesu Christe, sanctitatis, munditiæ, & puritatis amator) est veræ amicitix inimicus, ineffugabilis pœna; noxium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas; domesticum periculum; mali natura, boni colore depicta; continua sollicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum; domus tempestatis, solitudinis & orationis impedimentum; continentis viri naufragium, adulterii vas, perniciosum prælium, & pondus gravissimum. O misericordissime Domine Iesu Christe, casti conditor

ditor amoris, qui me de nihilo creasti, & tuo preciosissimo sanguine redemisti; tuam misericordiam supplex imploro, corde & opere efflagito, ut cor meum fragile longe facias à tali amore.

3. Erue me à tanto periculo, defende me à tam miserabili casu: protege me à tanta circumventionem inimici. Libera me, misericordissime Domine, à tanto laqueo perditionis. Da mihi fortitudinem resistendi, concede mihi veniam peccatorum. Eleva mentem & cor meum, ut te amem & timeam, tibi placeam & serviam: te verum Deum corde, ore, & opere confitear, & agnoscam, & à tua infinita misericordia me non repellas. Fac me perseverare in bonis & tibi acceptis operibus, ut in præsentem sic vivam, & semper ad ulteriora procedam; in fine hujus transitorie vitæ meæ, vitam inveniam in amore tuo sempiternam, Amen.

*Finis Contemplationum Idiotæ de
amore divino.*

